

## **Dissertatio inauguralis medica de incubo ... / [Daniel Textoris].**

### **Contributors**

Textoris, Daniel, 1715-  
Teichmeyer, Hermann Friedrich, 1685-1744.  
Universität Jena.

### **Publication/Creation**

Jenae : Litteris Wertherianis, [1740]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/bp2p87jc>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

I. N. I.  
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

---

DE  
I N C V B O

---

QVAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO

WILHELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE JULIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE  
ET WESTPHALIAE COMITE SAYNAE ET WITTGENSTEINII  
RELIQVA

---

CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
SVB PRAESIDIO

HERM. FRIDER. TEICHMEYERI

HEREDITARII IN CAMSDORF ET WENIGENIENA  
PHIL. ET MED. DOCT. ANATOMIAE CHIRVURGIAE ET BOTANICES P. P. O.  
SERENISSIMORVM SAXONIAE DVCVM VINAR. ET ISENAC. CONSIL. AVLIC.  
ET ARCHIATRI ACADEM. NATVR. CVRIOS. IMPERIAL. LEOPOLD.  
CAROLINAE ET REG. SOC. SCIENT. BORVSS. SODALIS

PRAECEPTORIS ET PATRONI OMNI HONORIS CVLTV  
DEVENERANDI

PRO GRADV DOCTORIS

PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISIONI

SVBMITTIT

DANIEL TEXTORIS

LTPTOVIENSIS HVNGARVS  
IN AVDITORIO MEDICO

D. .XXII/ SEPT. A. CIO IOCC XXXX.

---

IENAE, LITTERIS WERTHERIANIS.

DISSECTATIO PRAECEPTORUM MEDICAE

DE

IN C V R O

Q V A M

RECTORI UNIVERSITATIS DOMINICAE

WILHELMO HENRICO

BYCE SAXONIAE ILLUSTRISSIMO ET SPECTABILISSIMO SENATUI

COMMISSARIIS QUAE IN PRAECEPTIS MEDICAE

HERM. FRIEDR. RICHTER

PRO GRADU DOCTORIS

PRAECEPTORIS ET PRAELECTORIS

PRO GRADU DOCTORIS

DANIELI EXTORIS

LENAE PRAECEPTORIS WESTPHALIAE



I. N. I.

§. I.



*Incubus* ab incumbendo originem ducit. **A**egroti enim, qui morbo hoc affliguntur, grave quicquam sibi insidere ac incumbere imaginantur atque somniant; & quidem vel sub specie animalium, vel gigantum, sagarum, vetularum, vel etiam pulcherrimarum personarum. Et hæc fuit opinio omnium ferme gentium, imo & maiorum nostrorum. Græci eiusmodi spectra pectori illapsa, vel ut rem accuratius definiamus, hunc morbum vocant *ΕΦηαλτην* vel *ἐπηαλτην*, quasi *insultorem* vel *insultatorem*, ab *ἐφάλλεσθαι*, *insilire*, *irruere*, *invadere*. Rationem huius denominationis afferunt hanc, quia scilicet illi, qui mole eiusmodi premi sibi persuadent, simul sibi imaginantur, spectra hæcce aeris comprimere vias, & coarctare ita, ut respirare, vocemque ledere minus valeant.

A

leant.

leant. Germani & Hungari hæc incommoda a dæmunculis causari sibi persuasum cum habuerint, vocarunt **die Trute**, **te**, **das Joachimicken**, **die Nachtmaare**, **Nachtmarde**, **der Alp**, **der die Leute drückt**. Galli simili infecti superstitione, incommodum hocce vocitarunt *la couche mai re*, *couche vieille*, *parce qu'elle couche & presse le coeur de la personne en dormant*.

§. II.

Incubus est insomnium, vel præva imaginatio rei; pectori incumbentis, dependens ab imminutione virium motricium, organorum respirationis tantum, aut simul totius corporis.

§. III.

Concurrunt itaque in *incubo* variæ circumstantiæ variaque symptomata. Conqueruntur enim ægrotantes: (1) de respiratione læsa, dicentes: coarctari thoracis organa, tanquam a pondere, (2) de extinctione vocis; clamare enim libenter volentes, non posse sonum edere. (3) de læsione motus in toto corpore, cupientes se a pondere & anxietate liberare, nec manus nec pedes movere, nec periculum effugere valere; (4) de phantasia vitiata, uno sensu interiorum, somniantes videlicet pectus pondere premi difficillimo. Memoria, nunquam, aut rarissime labefactatur, ideo a paroxysmo liberati omnia ea sciunt incommoda, quibus defatigati fuerunt.

§. IV.

**De subjecto, sive primaria morbi sede, disputant veteres**

teres non solum, sed & recentiores. Alii enim pro subiecto cerebrum, alii vero respirationis organa venditant.

§. V.

Arabes, cum quibus SENNERTVS in *medicina practica lib. I. part. II. cap. 29.* HERCVLES SAXONIA in *Pathol. & Praxi Lib. I. c. 12.* SYLVIVS in *Praxi medica Lib. II. c. 32.* WILLISIVS *Part. II. pathol. cap. 6.* aliique, cerebrum eiusque ventriculos, in primis posteriorem illum, quem quartum vocant, & qui circa calamus scriptorium excavatus est, & valvula cerebri tegitur, sedem morbi esse asserunt. Sententiam hanc probare sibi exinde sumunt; (1) quia non solum organorum vocis & respirationis muscoli afficerentur, sed & muscoli motuum voluntariorum, in primis artuum. Cum enim motus musculorum absque ministerio nervorum eorumque inquilinorum spirituum nempe animalium presentia, non fieri posse certum sit, sequi exinde, vitium quærendum esse in cerebro, cerebello, spinali medulla & nervis. (2) Quia incubo laborantes de capitis dolore sæpius conquererentur, gravissimis cerebri affectibus obnoxii essent, eis sensus obstupescerent, imo interdum in apoplexiam inciderent. (3) Quia difficillime e somno excitarentur, ex qua re fieret, ut laborarent affectu quodam soporoso, quo & ipsa apoplexia referenda esset, ad quam dispositi essent. Ex hisce simul sumtis concluditur, in incubo fere omnes actiones animales lædi, & cerebrum primario esse affectum, qua re omnes fere practici incubum retulerunt inter capitis morbos. Inter hos vero eminent NICOL. PISONIVS, *Lotharingus*, cuius librum *de internis humani corporis morbis* novissime edi curavit, auditoribusque suis commendavit Magnus BOERHAAVE. Inquit vero citatus autor: *Incubus est nocturna corporis oppressio & suffocatio, cum quis videlicet*

me depingit DESAINT HILAIRE *Tom. II. anatomie suæ, p. II.* quam gallice edidit Parisiis 1698. Interim minime negamus, causam immediatam quoque esse respirationem sufflaminatam. Nec dubitamus, causam mediatam existere posse nunc in organis thoracis, nunc in abdomine, eiusdem musculis, ventriculo, partibus generationis, imo sub mammis, id quod videbimus singulatim in causarum doctrina. Concedimus quoque, a respiratione sufflaminata impediri cordis & sanguinis motus, spirituum elaborationem, secretionem & distributionem; homines enim hoc modo moriuntur suffocatione.

S. X.

Ad causas immediatas, tam prisca quam nostris temporibus, spectra referuntur; PLINIUS incubum *Faunorum ludibria* appellavit, quod tamen ab AETIO & ORIBASIO jam olim in dubium fuit vocatum. AUGUSTINUS *de Civ. Dei Libr. V. cap. 23.* incubos nominat *Sylvanos & Faunos*, imo & *Drusios*, quæ spectra mulierum concubitum desiderant. Et ex hac re factum fuit, ut tot curiosæ atque supersticiosæ de dæmonum præstigiis historiarum ortum traxerint. Eiusmodi farina videtur nobis illa historiola de *Vampyris*, etiam incubis diabolicis. De his homines, in Wallachia imprimis, sunt persuasi; posse corpora mortuorum *Vampyrorum* ex sepulchris surgere, alios invaderer premere, iisdem sanguinem exfugere, & ita viventes interficere & enecare. Non negandum, famam de *Vampyris* varias iam excitate observationes, & certe opinionem de existentia eorundem hoc seculo florere cepisse, sed, nobis hæc fabella videtur aut ridicula, aut falsissima aut hyperphysica. Cum enim corporum demortuorum motus, & penetratio naturaliter fieri non possit, nec solidum corpus, & quidem mortuum,

tuum, in quo principium agendi cessavit, per solidam terram naturaliter moveri possit, prono sequitur alveo, *Vampyrorum* actionem ad miraculosas referri debere. Miracula vero perpetrare soli competit Deo, non Diabolo, ergo, si dicendum, quod res est, hancce tabellam inter vetularum somnia locum invenire non ultimum autumamus.

§. XI.

Cum nugis, quæ de *Vampyrorum* existentia ad nos perlatae sunt, conveniunt illæ superstitiones, de Hyænis sive *lupis rapacibus*, von *Meerwölfen*, *Berwölfen*, *Weers* oder *Nacht-Wölfen*, qui homines, tanquam spectra, invadere, suo onere gravare, mordere & vulnerare a credulo vulgo perhibentur. Item spectra subterranea vulgo der *Kobold*, *Bergmännich*, der die *Berg-Leuthe tödtet*. \* Ad latus harum superstitionum ponenda veniunt *spectra equitantia*, quæ in stabulo equis superimposita equitare dicuntur, ita, ut, equi fere sudore disfluente, ad mortem usque debilitentur, quem equorum incubum nominare posses. Porro huc referendum est *spectrum venans* in aere, liciscos latrantes habens pedissequos; der *wilde Jäger*. Nihil hic proferam de distinctione inter incubum & succubum, sive de spectris voluptuosis & lascivis, quæ cum hominibus coitum instituere dicuntur. Hoc enim somnium, postquam sana & ecclectica philosophia caput erexit, superstitionemque pedibus conculcavit, evanuit merito.

\* Verum in aurifodinis metallarii non ab incubo spectro quodam, sed potius ab aere, malignis artenicalibus effluviis referto, vel nimis gravi, & ad respirationem minus idoneo suffocantur. De tali suffocatione quid existat in *Novellis*



vellis Lipsiensibus die 27. Aug. 1740. de argentifodinis Americæ: Nahe bey der Stadt ASSUMPTION ist das Land **Peragua**, darinnen ein vortreflich Kraut wächst, ohne welches es denen Spaniern ohnmöglich fallen solte, einiges Silber-Erz aus den Bergwercken zu gewinnen. Den die Negres und Indianer, die darinnen arbeiten, gerathen durch die übele Wetter, die darinnen sind, je zuweilen in starcke Ohnmachten; als denn müssen sie von diesen Kraute trincken, daß man wie Thee trocknet, und das mit Zucker süsse gemacht wird, welches ihnen zu ihrer vorigen Kraft wieder hilft. *Qualis herba sit, non refertur, fortassis Botrys Mexicana. Eiusmodi suffocationes sæpius in argentifodinis Germaniæ quoque contingunt.*

§. XII.

Nos equidem non sumus in eorum numero, qui diabolorum atque spectrorum existentiam pernegare sibi sumunt, sed potius, diabolo certam, limitibus tamen circumscriptam, in corpora potentiam, (de qua Ill. HOFFMANNVS evolvendus, in dissert. *de diaboli potentia in corpora,*) adscribendam esse persuasi sumus; interim tamen, pleræque relationes de spectris, quæ hinc inde in variorum scriptis inveniuntur, ad meras nugas atque imposturas referendas esse, arbitramur. Ille, qui eiusmodi figmenta legere cupit, adeat den *Schauplatz und Labyrinth der Zeit, höllischen Porthaus, Qvirsfelds historische Rosengebüsche*, aliosque, qui tales nugas confarcinarunt. Id enim veritati congruit, spectra hominibus piis, sapientibus, eruditis, vel, ut paucis me expediam, quibus mens sana in corpore sano est, raro vel nunquam, sed plerumque superstitiosis, meticulosis, præconceptas opiniones alentibus, stupidis quasique delirantibus apparere. At tales homunciones sunt simplicissimi,

cislimi, schwache Geister, creduli, vetularum fabulas, ad  
 colum excogitatas, pro vero venditantes, a Gallis uno  
 verbo *Visionairs* denominati.

§. XIII.

Medicorum celeberrimi hinc omnes intenderunt  
 nervos ad crassam hanc superstitionem extirpandam,  
 inter quos eminent *WIERVS de prestigiis Demonum*, *DEL RIO*  
 in *Demonomania* & primarius quondam Ludovici XIV.  
 Galliae Regis Archiater & postea abbas, *BOVRDELOT* in  
 suo *stulto*, siue *le fou*, in quo scripto fatui huius frater *Mr.*  
*NONCREDO*, omnes imposturas deridet, in dubium vocat,  
 earumque falsitates probando reiicit. Præterea repe-  
 riuntur in hoc libro collectiones scriptorum & integra  
 bibliotheca eorum, qui de spectris, sagis, fascinatione &  
 incantatione egerunt. Adde si placet, *Cel. THOMASII*  
*dissert. de crimine magicæ* & *BECKERI mundum fascinatam*,  
 qui tamen extra limites vagatus, theologorum inprimis  
 odium erga seipsum concitavit iure meritoque.

§. XIV.

Incubum diabolicum, siue supranaturalem, *B. L.* di-  
 stingue a præternaturali, de quo, medici tantum, in pa-  
 thologia & praxi agere solent.

§. XV.

Ad causas mediatas ab omnibus practicis referun-  
 tur res naturales, non naturales, & præternaturales. *In-*  
*cubi* causa naturalis esse potest ætas, temperamentum, se-  
 xus, vitæ genus. Omnis ætas disposita est ad incubum,  
 & sane pavores eiulatusque infantum, durante somno,  
 B incubi

incubi speciem præ se ferunt; Adest enim quædam molestia, quæ corpus quasi gravat, & turbulenta insomniacum anxietatibus producit. Temperamentum melancholicum, sive frigidum & siccum ab omnibus fere accusatur. Hinc Arabes, item FERNELIUS, PLATERVS, FORESTVS, SENNERTVS, cum quibus consentit maxima medicorum pars, causam antecedentem pituitam, crassam, & atram bilem, vel humorem melancholicum in hypochondriis hærentem accusant.

### §. XVI.

Ad causas non naturales pertinet (1) aer frigidus inprimis, vi cuius omnes canales omniaque vasa coarctantur. Talis aer frigidus, spiritus animales in cerebro & nervis obtundit, sanguinemque coagulat, ex quo anxietates & motus impotentia oriuntur. Præterea aer nebulosus, variisque nocivis effluviis, inprimis vaporosis atque narcoticis, stupefacientibus repletus, accusandus venit. Omnia enim vaporosa in homine excitant speciem affectuum soporosorum cum insomniis horrendis & molestissimis. Sic Romæ quondam incubum epidemicum grassantem multos, pestis instar, iugulasse, refert ALLEN in *synopsi medicinæ practicæ* p. 147.

### §. XVII.

(2) Cibus & potus quantitate & qualitate peccaminosus esse potest; si enim vespertino tempore ventriculus ultra modum alimentis gravatur, non tantum in decumbentibus supinis comprimitur vena cava & portæ, sed & ipsum diaphragma. Et exinde fieri solet, ut apud dormientes sanguinis circulatio & ipsa respiratio lædatur,

tur, truculentaque producantur insomnia. Repleto itaque ventriculo optimum consilium est, non dormire decubitu supino. Augetur incommodum, quando alimenta dyspepta & dyschyma in usum vocantur, ut legumino-  
sa, flatulenta, quæ intestina expandunt, & respirationem turbant. Referas huc tuberum & fungorum esculentorum genera, quæ interdum virulentia quadam contaminata esse solent; Addi & possunt inebriantia. Ebrietas enim facile incubum creat, quoniam inebriantia vi gaudent narcotica. Et cum vinum Hungaricum maxime inebriet, illi ad hunc adfectum disponuntur, qui crebriori & immodico vini usu corpus ad hanc adaptant, raro ideo afficiuntur hoc malo, qui laudabili utuntur potu, aut qui sobriam amant cœnam.

§. XVIII.

(3) Somnus. Inprimis experientia practicorum confirmat, decubitus in somno supinum incubo originem dare posse. (4) Motus & quies. Il, qui vitam exercent sedentariam, non cruditates tantum in primis viis generant, sed & ipsam sanguinis massam reddunt viscosam. Per motum vero & deambulationem tenduntur muscoli abdominis, & ita intestinorum motus peristalticus promovetur; motu vero hoc cessante tardior quoque est motus intestinorum, tardior chyli elaboratio & chyli secretio. Exinde alimenta non digeruntur, sed potius sponte putrescunt cruditatesque cum molestiis a flatibus, obstructionibus atque acrimoniis illico producuntur, a vellicatis intestinis afficiuntur muscoli abdominis & diaphragma. Spasmi in ipso peritonæo generantur, ideoque disponuntur ad incubum & insomnia turbulenta. Per motum corporis sanguis in musculis conquassatur, resolvitur & convenientem acquirit fluidi-

tatem; promoventur hoc modo secretiones & excretiones naturales; sanguine vero viscoso permanente facile proveniunt obstructions in vasculis bronchialibus, quæ asperam arteriam eiusque ramificationes perreptant. Hisce vero repletis a sanguine viscoso, bronchiorum motus non est liber, respiratio læditur, & ideo asthma sanguineum in vigilantibus, & ideo in dormientibus incubi generatur. Incubus revera asthma & dyspnœa dormientium nominari potest.

### §. XIX.

(5) Excrementa retenta, in specie alvi & flatus, abdomen expandendo, respirationemque lædendo symbolum conferre posse ex supradiçtis patet, quo & pertinent mensium atque hæmorrhoidum obstructio. Hisce enim evacuationibus cessantibus cumulatur sanguis, vasa in cerebro & thorace premuntur, & exinde oritur dispositio ad incubum, quæ imprimis in plethoricis & obesis solemnis est. Inter alios incubo premuntur, qui feminis copia laborant. HENRICVS REGIVS *Lib. I. Præceos* historiam enarrat de viro quodam, ceteroquin sano, qui, ad quietem compositus, sibi imaginatus est, in somno vi sollicitari ad venerem, atque a pondere quodam premi, quod vocem eius intercipiat. Hinc dubio procul factum est, ut incubo adfecti, venereis accedentibus insomniis, id talibus adscripserint dæmonibus, a quibus eiusmodi patientur ludibria. Plebs in ea est opinione, nonnullis vel masculis vel fœminis hoc proprium esse, ut personas, a se amatas, noctu ita affligant, donec voti compotes fuerint facti. Homines eiusmodi cognosci posse ex characterè physiognomiæ hoc dicitur, quando scilicet superciliarum pili supra nasum in glabella coeant. Præterea quoque affectus ad producendum hoc malum, multum conferre

conferre possunt, & inter illos terror & timor, qui ad melancholiam disponunt.

§. XX.

In numero causarum præternaturalium (1) occurrunt eæ, quæ œsophagum afficiunt. Ab affecto enim œsophago respirationem turbari posse, extra controversiam est. Etenim œsophagus penetrat per musculos inferiores diaphragmatis, qui eius finem & ventriculi principium fibris suis decussatis includunt, cingunt, ambiunt atque comprimunt. Si itaque hocce ventriculi orificium afficitur, illico etiam ob connexionem diaphragma læditur. Nervi ventriculi cum diaphragmate sunt communes, & ex hac ratione absque dubio OSWALDVS GREMBS *in arbore vitæ integra & ruinoſa Lib. II. cap. 1.* accusat primario œsophagum, inquiens: ab ore stomachi contorto fieri incubum. Per contorsionem fortassis indicare voluit spasmus orificii superioris ventriculi, & eiusmodi contorsionem spasmodicam omnino fieri posse, exinde patet, quoniam ex observatione HELVETII fibræ orbiculares & decussatæ ventriculi orificium superius ambiunt. Quando itaque in fibris hisce notabilis oritur spasmus, talis quoque contingit in diaphragmate ob connexionem horum organorum immediatam & sic per consequens respirationis sufflaminatio.

§. XXI.

Ad incubi productionem multum conferunt vitia chymificationis, chylicationis & sanguificationis, secundum antiquum medicorum effatum: Vitia primæ concoctionis, hoc est chymificationis & chylicationis, non corriguntur in secunda, hoc est, in sanguine & san-

guificatione, neque in tertia; hoc est, in nutrimenti & liquidorum particularium præparatione & secretione. Qualis chylus talis sanguis, qualis sanguis tales spiritus, quales spiritus tales actiones. Si itaque viscera, sub hypochondriis sita, labefactantur, qualia sunt ventriculus, intestina, pancreas VIRSVNGII atque ASELLII, lien, hepar, mesenterium, omentum, quæ viscera, cum arteria coeliaca, mesenterica, imo & vena portæ commercium habent, tunc Chylus elaboratus crudus, & ad sanguificationem minus aptus est, ipsa sanguificatio, spirituum elaboratio, imo omnes actiones læduntur, viscera iam recensita obstruuntur, homo vero incidit in malum hypochondriacum, dispositoque eodem ad melancholiam, incubus oritur, cum & sinistrae producantur repræsentationes.

§. XXII.

Cum respiratio in incubo sit læsa, organa respirationis lædi necesse est. Hæc læsio autem fieri solet, quando motus musculorum thoracis per spasmum turbantur. \* Talis spasmus oriri potest in musculis pectoralibus, pectorali maiori, serratis anticis & posticis, sacro lumbari, & dorsi longissimo, qui ansis suis sive tendinibus cum costis iunguntur, simulque motibus respirationis inserviunt, quo & pertinent intercostales sterni & diaphragmatis, item & musculi asperæ arteriæ & bronchiorum.

\* Spasmus est impeditus musculorum motus. Impeditur autem motus, si æquilibrium virium motricium in musculis tollitur, & unus musculus crispatur; vel si spiritus animales, qui in statu naturali sine ullo impedimento per tubulos nervosos ex uno musculo in alterum oppositum transferre debent, in itinere suo & cursu impediuntur. Hoc autem

tem primario fit per nervorum obstructions. Obstructio autem contingit, si crassa, viscosa & ad motum celerimum præstandum minus apta materia tubulis nervorum sese insinuat.

### §. XXIII.

Affertionis huius veritatem suffulcit DOLAEVS *Encyclopediæ medicæ cap. XIII.* quando refert, Virum quendam, qui in fomno singulis fere noctibus incubo afflictus, sensibilem mammaram suctionem expertum esse, non secus ac si homo ore sugeret ex mammis lac, & quod præcipuum est, mammas in hoc subiecto intumuisse simul, & quoties sentiret hanc suctionem, toties evigilare non potuisse dicitur. Porro læditur respiratio, si sanguis crassus & melancholicus non libere per vasa minima bronchialia cellularumque pulmonalium permeare potest, sed in transitu suo impeditur. Melancholici sæpius edunt suspiria, quæ, cum a sanguine crassiori, per pulmones non libere circulante, ortum trahant, per suspiria & fortes inspirationes hæc impedimenta remove conantur.

### §. XXIV.

Quod vero sanguis in incubo affectis sit crassus & ad stagnationes atque congestiones idoneus, exinde patet, quia in incubo affectorum corpore interdum vestigia lividia, stigmata & sugillationes observantur. Eiusmodi stigmata, quæ constanter perdurarunt, vidit Ill. Præses in duabus personis ab incubo affectis. Stigmata eiusmodi atque livores deprehendebantur quoque in thesauripetis illis impiis, qui hic Jenæ ante aliquot annorum spatium diabolum citare & coniurare cupiebant in confiniis patibuli.



tibuli. Perverforum horum homuncionum livores variis iudiciis ansam dederunt. Nos eosdem non fuisse vestigia unguarum diaboli, sed ortos esse a sanguine stagnante in articulo mortis & ultima suffocatione, adfirmamus, liceat credulum vulgus, imo quidam eruditi de interitu horum pessimorum hominum multo aliter sentiant.

§. XXV.

Cor quoque ipsum afficitur interdum in incubo. Cum enim certum omnino sit, sanguinem in dispositis ad incubum esse melancholicum, hoc est crassum, viscidum & non satis spirituosum, atque lymphæ dilutum, sequitur exinde, sanguinem libere permeare non posse per vasa coronaria cordis, auricularum, & Fontes THEBESII, sed cordis motibus ponere obicem; & ex hinc oritur in eiusmodi subiectis præcordiorum anxietas, & ex hac respirationis difficultas. Videtur iam hoc agnovisse THEOPHRASTVS PARACELSVS, qui in libr. *de morbis amentium* c. 4. incubi originem a corde, non sufficienter a lymphæ pericardii humectato, sive a defectu lymphæ pericardii derivat; sed eo ipso fallaciam commisit non causæ ut causæ.

§. XXVI.

Consideranda etiam hic veniunt vitia cerebri, si nempe lymphæ cerebralis ob viscositatem in ventriculo quarto cerebri cumulatur & principium spinalis medullæ circa calamum scriptorium eiusque crenam in dormientibus supinis molestat; hoc enim modo regularis spirituum motus, in vita & sanitate tam necessarius plus iusto sufflaminatur, a qua causa motus, illa in musculis artuum  
impo-

impotentia in incubo facile derivari potest. Simile quid fieri solet, si, secundum WILLISIVM *part. II. Patholog. cap. 6.* succo nerveo materies quædam incongrua instillatur, quæ, spiritibus in prima scaturigine torporem sive narcosin inducens, eosdem mox a functionum muniis cessare cogit. Hinc nervi in dormientibus ultra modum clauduntur, in specie illi, qui ad respirationis organa diriguntur. Interim, læso spirituum transfluxu a cerebro, cerebello & spinali medulla, læditur quoque libera spirituum actio in nervis respirationi dicatis; &, læsis nervis diaphragmaticis una cum nervis recurrentibus, organa respirationis libere agere non valent, ex quo, metum suffocationis adesse, concluditur. Ex his hucusque prolatis apparere videtur, quomodo incubus fieri possit, scilicet nunc ex vitio organorum respirationis horumque vasorum sanguiferorum, nervorum & muscutorum, nunc ex vitio viscerum abdominis, cordis, & cerebri.

§. XXVII.

Interim non negandum, incubum interdum contingere in hominibus alias perfecte sanis, si scilicet circa somni principium supinato corpore dormire incipiunt; & si ad latera convolvuntur, malum cessare solet; iterum supini si fiunt, redit, & si denuo situs mutatur, morbi iniurias amplius non sustinent, sed omnia cessant. Hæc momentanea morbi generatio & extinctio fieri certe non posset, si tot notabiles in cerebro, thorace, abdomine, imo toto corpore præsentessent mutationes. Ut verò huius rei ratio paulo evidentius appareat, quædam ex physiologicis præsupponenda sunt.

§. XXVIII.

Notum scilicet est, hominem sanum libera gaudere respi-

respiratione, etiam in somno, respirationem vero inspiratione & expiratione absolvi; illam fieri, cavo thoracis ampliato, hanc vero, coarctato. In inspiratione diaphragma descendit & planitiem acquirit, costæ attolluntur per musculos intercostales, & sternum elevatur, abdomen vero protuberat, in quibus actionibus simultaneous aer per laryngem, asperam arteriam, & bronchia valet intrare, cellulas replere, atque pulmones expandere. Contraria hisce contingunt in expiratione. Quod vero primario in expiratione diaphragma assurgat, planitiem mutet & versus superiora moveatur, tribuitur musculis abdominis, qui quasi diaphragmatis antagonistæ sunt. Hi musculi abdominis, in inspiratione expansi, in expiratione vero restituti in pristinam formam, abdominis viscera comprimunt, abdomen ipsum coarctant, diaphragma sursum pellunt, aeremque, pulmones replentem, expellunt. Hæc reciproca thoracis atque abdominis intumescencia & detumescencia tam diu durat, quam diu vita & sanitas perdurat.

### §. XXIX.

Si itaque homo sanus ex improvise incubo premittur extra dubium esse dicimus, morbum hunc non oriri ex causa quadam, vel in cerebro, vel pulmonibus, vel corde, vel visceribus abdominis, vel in toto corpore & humorum latice existente, sed ex speciali quadam, certam actionem definitam impediante. Persuasi vero sumus, causam mali delitescere in abdominis musculis, qui in inspiratione cedere debent. Musculi nimirum abdominis sunt oblique descendentes, oblique ascendentes, transversales, recti atque pyramidales FALLOPII, vel potius VESALII & EVSTACHII, sive rectorum socii. Obliqui & transversales sustentantur a rectis, recti in horum tendi-

dini.

dinibus vaginulam efformantibus moventur. Recti in  
 situ hominum supino per se elongantur & expanduntur  
 valide, adeo ut ulterius cedere non possint, sed inspira-  
 tioni resistunt, & dum iam compressa viscera descenden-  
 ti diaphragmati cedere non possunt, inspiratio suffla-  
 minatur, aerque in pulmones libere intrare non potest.  
 Et exinde fit, ut dormientes necessario sentiant dispa-  
 ceam respirationemque laboriosam, clamare volentes non  
 possint, & sic sibi concipiant, grave pondus abdomini  
 eorundem incumbere. Corpore autem in sinistrum vel  
 dextrum latus converso, & parumper dorso in fornicem  
 incurvato, relaxantur muscoli abdominis recti, & sic spa-  
 tio abdominis ampliato, inspiratio antea impedita resti-  
 tuitur. Facile exinde est determinatu, unde impedita  
 respiratio supine dormientium & incubi productio mo-  
 mentanea ortum sumat. Anima in hoc casu, ob affe-  
 ctos nervos respirationi dicatos, sibi repræsentat ideam  
 ponderis, supra thoracem & abdomen extensi, quæ de-  
 pendet a motibus chordarum nervosarum ad cerebrum  
 usque delatis. Si vero motus chordarum similis resti-  
 tuitur, pristina idea denuo repræsentatur, & hæc repræ-  
 sentatio reiterata dicitur memoria.

§. XXX.

Differentiæ incubi a causis desumuntur. Alius enim  
 est supranaturalis; alius præternaturalis; alius per essen-  
 tiam, ubi cerebrum afficitur; alius per consensum a vi-  
 tio ventriculi, hypochondriorum, uteri, partiumque ge-  
 nerationis ortus; alius gravior, alius mitior, alius deni-  
 que in hominibus ceteroquin sanis contingens. Possit  
 quoque hic addi incubus vigilantium, qui tamen rarius  
 eveniens magis ad dyspnoeam referendus est.

## §. XXXI.

Signa diagnostica ex antea dictis innotescunt. **Su-**  
**pini** dormientes respirare nequeunt, ob pondus, quod  
 sibi concipiunt abdomini & thoraci superimpositum, vo-  
 cem articulatam edere non valent, sed tantummodo mur-  
 murant, eiulantesque effugere laborant; ab motus vero  
 impotentiam minus possunt, donec tandem, vario labo-  
 re & anxietate defatigati evigilant, superstiti ut pluri-  
 mum cordis tremore, & non raro diaphragmatis vibra-  
 tione celerrima ac violenta. VIRGILIUS *Aeneidum libr.*  
*XII.* circa finem de incubo ita canit:

*Ac veluti in somnis, oculos ubi languida pressit  
 Nocte quies, ne quicquam avidos extendere cursus  
 Velle videmur, & in mediis conatibus aegri  
 Succidimus, non lingua valet, non corpore nota  
 Sufficiunt vires, nec vox, aut verba sequuntur.*

## §. XXXII.

Ad formandam prognosin consideranda veniunt  
 subiecta eorumque constitutiones. Verum quidem est,  
 incubum in omnibus facile esse periculosum, ob suffo-  
 cationis metum; attamen magis fatalis esse potest infan-  
 tibus, in primis voracioribus & obesioribus, qui plus com-  
 medunt quam digerunt, item hypochondriacis, hysteri-  
 cis, quorum viscera sunt obstructa & ita disposita ad ca-  
 chexiam & melancholiam. Præter hæc incubus maxi-  
 mo subiicit ægotantes periculo, si paroxysmi sæpius re-  
 currentes maximas secum ducunt anxietates, sudorem fri-  
 gidum, artuumque tremorem, nervosum enim genus in  
 eiusmodi subiectis mirum in modum turbari solet; ex  
 qua

qua re facile suffocatio, syncope, apoplexia, affectus soporosi, imo ipsa epilepsia oriuntur. Arabes ideo incubum epilepsiam nocturnam vocant. Minus periculosus incubus momentaneus, qui a cubitu supino ac muscutorum rectorum nimia extensione ortum trahit. Musculi recti regulariter modo usque ad sternum eiusque cartilagine[m] ensiformem extenduntur; verum VESALIUS p. 224. ed. OPERINI *tab. 5.* depinxit musculorum rectorum extensionem usque ad costam primam atque claviculam. Hæc structura musculorum rectorum quidem rarissime observatur, interim, si incubus in tali subiecto accidit, non potest non vehementior fieri, dum thorax unacum abdomine arctissime comprimatur.

§. XXXIII.

Cura duplici instituenda est modo; alia scilicet esse solet in paroxysmo, alia extra illum. In paroxysmo adhibenda veniunt omnia illa, quæ incubo pressum e somno excitare valent, quo referas penetrantissima salia volatilia, naribus admota, omnis generis vellicationes & frictiones, cum linimentis spirituosis, ut aqua apoplectica, Anhaltina, cephalica Caroli V. & linteaminibus calidis, asperis. Refer & huc compellationes, imprimis, uti quidam practico[rum] contendunt, nominis in S. baptismo impetrati. Quilibet exinde coniecere potest facile, incubo laboranti commendandum esse vigilantem socium, qui gementis & eiulantis ægroti situm supinum illi commutet, remediaque ad excitandum e somno convenientia applicet. Clysteres quoque educentes, emollientes & carminativi non sine fructu tunc adhibentur.

§. XXXIV.

Cura extra paroxysmum respicere debet causas.

Causæ vero vel in ventriculo & intestinis, vel in visceribus reliquis infimi ventris, vel in thorace, vel demum in ipso cerebro delitescunt. Ab omnibus fere practicis laudantur evacuantiæ, cephalicæ & antispasmodicæ.

§. XXXV.

Causa morbifica, si in primis viis hæret, uti sunt cruditates, evacuantur laxantibus, purgantibus atque emeticis, quo pertinet rhabarbarum, folia fennæ & ex his parata decocta, pulvis catholicus Michaelis purgans, pilulæ tartaræ Quercetani, extractum panchymagogum Crollii, quæ pro selectissimis atque optimis habenda sunt. Si vomitoria desiderantur, pulvis radicis ipecacuannæ omnibus palmam præripere potest. Junioribus & infantibus magnesia alba, pulvis ialappæ atque radicis bryoniæ, vel per se, vel cum syrupo rosarum solutivo, aut de cichorio cum rhabarbaro profunt.

§. XXXVI.

Evacuatis sic ex primis viis cruditatibus, dari possunt carminativa atque stomachica, ut Elixirium stomachicum Mynsichti, Essentia carminat. Wed. Elix. vitæ Matthioli pulv. stomach. Quercet. aliaque huius commatis. Item aperitiva, qualia sunt pulvis absorbens Wedelii, antispasmodicus Stahlî, cachectic. Quercet. antimon. mart. cachect. tinct. mart. aperitiva Zwölferi, cydoniata, pomata, cum arcano tartari mixta, in primis martialia ab Ettmullero cum sobrietate coniuncta commendantur. Lapis Lazuli, utpote remedium arsenicale, reiicitur.

§. XXXVII.

Carminativam & antispasmodicam virtutem possident  
quo-

quoque externa, ut olea, emplastra atque sacculi. Sic ægrotus, hoc morbo afflictus, qui vespertino tempore ventriculum & intestina copiosis non replevit alimentis, sibi applicare potest calide in regione hypogastrica, epigastrica, cordis, imo & pectore linimenta paregorica & antispasmodica, Emplastra & sacculos carminativos, v. g.  $\mathfrak{R}$  Unguent. de Alth. martiat. ol. lumbric. terrest. aneth. ana  $\mathfrak{z}$ j Ol. nucist.  $\mathfrak{z}$ j destillat. menth. gutt. xx. anth. lavend. ana gutt. xii. M. Quo pertinet unguent alabastrin. ol. rosar. hyosciami, chamom. castorin. & ex oleis destillatis Satureiæ, nigellæ, carvi, anisi, cumini, oleum Paregoricum Wedelii eiusque linimentum nervinum. Quando eiusmodi linimentis oleosis abdomen calide inungitur, spasmus musculorum abdominis, & in primis rectorum, declinatur. Hoc feliciter peracto, superimponi conducit scutum vel emplastrum stomachale.  $\mathfrak{R}$  Empl. de baccis lauri, de crusta panis, stomachici Mynsicht. de tacamahaca ana unc.  $\beta$  olei verbasc. laurini ana q. s. M. Malaxetur. Extende supra alutam, tegatur syndone rubra, superimpone loco inuncto, & supra emplastrum sacculum calefactum ex sequentibus speciebus constantem.  $\mathfrak{R}$  rad. zedoar. galang. calam. aromat. ana vnc. j. Herb. menth. origan. Serpill. Polii mont. roris marin. fl. lavend. chamom. Rom. ana Mj. Summit. aneth. M $\beta$ . baccar. lauri, iuniperi ana  $\mathfrak{z}\beta$  sem. anis. carvi, cumini ana drach. j. cubeb. drach. ij. M. F. Species pro Sacculo. Hæc tria remedia externa, non tantum incommoda flatuum, sed & spasmos ipsos declinant, intestinaque roborant.

§. XXXVIII.

Si pectoralia desiderantur, præstantissimum remedium est spiritus salis ammoniaci anisatus, & fœniculatus, qui vim carminativam & stomachicam possidet. Assumat ægrotus cum infuso herbæ thæe, melissæ, veron.



botryos mexicanæ. In usum quoque vocari possunt elixiria pectoralia, pulveres pectorales balsamici & resolventes, mixticum absorbentibus. v. g. ꝛ. rad. glycyrrh. irios florent. mandibulor. luc. piscis, dentis apri phil. præpar. lap. 69. matr. perlar. præp. antimon. diaphor. ana drach. sem. croc. scrup. sem. ol. anis. scœ. nicul. ana gutt. iij. Misceri potest parum sacchari. Remedia eiusmodi antispasmodicis annumeranda sunt & resolventibus, locumque inveniunt in cardialgia, cuius præsentia incubo in dormientibus, tam infantibus, quam adultis, ausam suppeditare potest.

#### §. XXXIX.

Ante omnia medicum, capitis statusque cerebri, quod primario sive per essentiam afficitur, curam habere oportet, ut lymphæ ibi stagnans, & principium spinalis medullæ molestans, resolvatur. Huc pertinent inter externa cucuphæ roborantes ex speciebus officinalibus pro cucupha, vel ex herbis fragrantibus & nervinis, recipiendo herb. basilici, meliss. mari. veri. thymi, maior. ana ʒij. fl. anth. lavend. rosar. rubr. lil. convall. chairi ana ʒj. rad. pœon. irios florent. lignum rhodin. raspat. lign. Nerulin. s. ambratum, si haberi potest, vel loco huius lignum aloes. succ. alb. benzoës, storacis calamit. ana ʒʒ. mosch. gr. ij. vel iij. Species hæ, in cucupham formatæ, irrorantur spiritu rosar. aqua Reg. Hungariæ, apoplectica, anhaltina, aliisque spiritibus fragrantibus, qui etiam, ut linimenta in vertice, abdomine atque thorace applicati, usum præstant non spernendum.

#### §. XL.

Interne cephalica & antepileptica propinanda sunt, ut pulveres epileptici Marchion. spec. cephal. Michael. spec. diarhodon abbat. succin. præpar. quæ assumuntur vel cum vehiculo domestico, vel cum aqua lil. conval. c. vino cera-

cerasor. nigror. & a sexu sequiori cum aqua hirund. cum castoreo. Etenim, sexus femineus si malo hoc premittitur, castorina omnibus remediis non sine successu adduntur. Ad cephalica interna etiam refertur liquor cornu C. succin. omnia salia volatilia oleosa, ut Sylvii, sive spiritus salis ammoniaci vinosus, cum aromatibus destillatus, omnia elixiria cephalica, essentia ligni aloes, ligni assafr. liquores quoque antispasmodici minerales, dulces tamen, & ab omni acido liberati, fragrantissimi, summe volatiles & penetrantissimi. Oleum DIPPELII animale, quod ex oleo empyreumatico per repetitas destillationes tandem in oleum limpidissimum fragrans æthereum commutatum est, in omni spasmo, & epilepsia proficuum esse experientia confirmavit.

§. XLI.

Creduli, qui, incubum ex causa supranaturali ortum trahere, sibi persuadent, varia amuleta ad spectra depellenda commendare solent. Et ex hinc e collo suspendere capita hirundinum, pilos canis albi nullamque habentis maculam, dextrum ursi & lupi oculum, dentes, pellem lupi & ursi pro tegmine, pro infallibili remedio venditant. Alii omnis fere rationis expertes, cultrum acutum supra abdomen erigunt, ita ut manubrium scrobiculo cordis admoveatur, cuspis vero emineat, quo spectrum, abdomini insiliens, se ipsum transfigat atque enecet. Sed eiusmodi nugæ redolent superstitionem admodum vanam. Penitus quidem non reiicimus amuleta, sed illa vi manifesta h. e. per effluvia agere debent, & sic causam morbificam corrigere, ut crocus, camphora, castoreum. Nec pelles damnamus, corpus enim calore fovere spasmumque declinare valent, in primis, si sufficitibus imprægnantur, ex gummi animæ, olibano, taca-mahaca præparatis.

## §. XLII.

Quomodo ægroti diætam instituere debeant, ex antecedentibus cuilibet facile est perspectu; scilicet vitanda sunt (1) omnia frigida, & aer frigidus; (2) nimia repletio ventriculi esculentis & potulentis; (3) decubitus supinus; (4) animi affectus, terror, tristitia & meticulositas. Contraria ex parte, omnia alimenta fluida, boni succi, faciliorisque digestionis eligenda sunt. Motus tempore diurno promovendus, ut sanguis resolvatur. Nec poenitebit mentem tranquillam & hilarem atque excretionem ordinarias ac liberas conservasse. Et hæc sufficiant de incubo dixisse.

SOLI DEO GLORIA.

Nimm Freund, den Lorber-Cranz, den Dir Hygea giebt;  
 Ich, der so lange Zeit Dich inniglich geliebt,  
 Ergöze mich daran; und wünsche daß das Glück,  
 Dich bald, wie Du verdienst, mit neuen Ehren schmücke.

Hierdurch suchte dem Hoch, Edlen Herren Doctorando seinen schuldigen Glückwunsch abzustatten, und zugleich sich dessen fernere Gewogenheit und Freundschaft auszubitten:

Johann Siegmund Kreyßel.

Bartfa Hung. M. C. Opponens.

Glück zu geehrter Freund, zum Kranze der Dich schmückt.  
 Und den Hygea selbst Dir um die Schläffe drückt.  
 Womit Sie das Verdienst von ihren Söhnen ehret.  
 Dein wissen jetzt beglückt nachdem Sie Dich gelehret.  
 Was Wunder wenn Dein Glück, so wie ich wünsche grünt.  
 Weil Du den Doctor-Huth durch Kunst und Fleiß verdient.

Mit diesen wenigen wolte den Hochgeehrtesten Herrn Doctorando, zu der erlangten Würde gehorsamst gratuliren, und sich zu fernern gütigen Andencken bestens empfehlen.

Ioh. Christ. Iacobi.

Vinar. Thuring. M. C. Opponens.